



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Dotes naturæ humanæ innocentis naturales.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40701

De Statu Naturæ humanæ innocentis.

§. I.

De dotibus & privilegiis naturæ innocentis.

34. **P**lurimæ, atque illæ præstantissimæ fuerunt natu-
 Dotes
 natu-
 ra in-
 no-
 centis
 natu-
 rales.
 ræ innocentis prærogativæ, tam naturales, quàm supernaturales, quibus Creator Optimus corpus & animam hominis exornavit. Inter celeberrimas *corporis* dotes fuere integritas sensuum, apta membrorum omnium compositio, statura perfectæ decor; temperamenti & humorum debita coordinatio: inde sanitas, virium robur, pulchritudo tantaque perfectio, quanta hujusmodi statûs conditionem decebat. Inter naturales *animæ* dotes eminebat infusa rerum omnium naturalium scientia, juxta illud *Eccli. 17. Disciplinâ intellectus replevit illos: creavit illis scientiam spiritûs, sensu implevit cor illorum: & mala & bona ostendit illis. Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum.* Hujusmodi namque scientia *Adamo* necessaria erat non ad vitæ duntaxat corporalis usum & conservationem, sed etiam ad instructionem cæterorum omnium, quorum caput & pater à Deo fuerat constitutus, immo & ad contemplationem & laudem Creatoris. Habebat itaque cognitionem rerum corporearum, sive quæ in terris, sive quæ in firmamento posite sunt: prima omnis honestatis principia ad vitam rectè sapienterque instituendam intimè penetrabat: Deum naturæ Autorem optimè intelligebat. *Adæ*
 volun-

voluntati Deus infudit virtutum moralium habitus, qui videlicet per actus humanos ordinis naturalis acquiri possunt, illorum ope ac subsidio ut voluntas recte rationi subiecta foret, atque ut inferior appetitus in praestituto honestatis officio contineretur. Erat proinde *Adami* voluntas prompta semper & expedita ad quosvis actus cujusvis virtutis moralis huic statui convenientis exercendos.

Homini in iis, quae ad naturae perfectionem at-
 tinent, optime constituto (nam *creavit Deus ho-*
minem rectum, & secundum se vestivit illum vir-
tute. Eccl. 17.) superaddidit Deus dona superna-
 turalia, quae congrua totidem media forent ad finem
 ultimum supernaturalem consequendum. Cogno-
 vit itaque Deum esse, non modò quatenus naturali
 ratione manifestatur, sed etiam ut objectum est bea-
 tudinis supernaturalis, & principium omnis iustitiae
 nostrae & salutis, ac remunerator, qui praeium
 ordinis supernaturalis redditurus est. Haec enim
 omnia per se primò necessaria sunt ad vitae sanctita-
 tem, ad Deum cum vera fiducia, & dilectione per-
 fectà quarendum, juxta illud Apostoli ad *Hebr. 11.*
Sine Fide impossibile est placere Deo: credere
enim oportet accedentem ad Deum, quia est, &
inquirentibus se remunerator sit. Existimant non-
 nulli, *Adamo* jam ante peccatum revelata fuisse
 mysteria Ss. Trinitatis, & Dominicae Incarnationis
 quoad substantiam, tum quia ad honorem Christi
 pertinebat, ut semper & in quovis statu ab homi-
 nibus agnosceretur tamquam Caput Angelorum &
 hominum; tum quia Fides in Christum pro omni
 statu necessaria ad salutem fuit dicente S. PETRO
Act. 4. v. 12. Non est in aliquo alio salus. Nec
enim

35.
 Dotes
 super-
 natu-
 rales.

v. 6.